

jure et absque ulla veri specie finibus adeo angustis eam legem contineri dicunt, ut sic iuri communi derogetur solum quoad eos, qui, in urbe Gorlicensi nati, ius civitatis ibi obtinuerint, hominibus reliquis a beneficio legis plane exclusis. Nam ut iam non dicam, quod deinceps ostendam, quam male haec concludantur, et quam parum haec prioribus sint consequentia, omnes credo, modo integram legis orationem bene ponderaverint, hoc mihi esse duros, privilegii nomen et indolem in hanc constitutionem plane non cadere. Nam ut privilegium, priva scilicet lex, ubi a regula iuris fit exemptio, intelligatur, plane

---

vero commentatio hunc titulum fert: *Rechtliche Betrachtung der Frage: Ob eines Görlitzischen Bürgers außserhalb der Oberlausitz wohnende Schwester, wenn sie einen über 30. Jahr, Jahr und Tag abwesenden Bruder und Miterben hat, dieses letztern angefallnes Erbtheil ex privilegio Matthiae d. a. 1616. sich anzumassen berechtiget?* — Quae diatribe legitur quoque in B. G. WEINARTI libro: *Rechte und Gewohnheiten der beyden Markgr. O. u. N. Lausitz.* Tom. III. Lips. 1795. pag. 312. sqq. Sed hic ita legitur, ut librarii vitio integer locus fere nequeat intelligi. Nam, quae sententiae, in hac diatribe recitatae, subiectae erant rationes, non a dicasterio, sed ab auctore diatribes, sententiam dicasterii impugnantis, profectae, magna librarii incuria, ne dicam oscitantia, ita adiiciuntur, ut ab auctoribus sententiae, ICTis, profectae videantur.